

II R
1524

X 1876051

13. 4. 1524
h. 25. 3.

DISPUTATIO APOLOGETICA,
DE POTESTATE IMPERATO-
RIS LEGIBUS SOLUTA, ET HO-
DIERNO IMPERII STATU, CUM
subjectis Corollariis,

*Adversus HERMANNUM VULTEJUM, IC.
Marpurgensem.*

QUAM
D. T. O. M. F. A.

PRÆSIDE


DN. GOTHOFREDO
ANTONIO,

J. U. D. ET ILLUSTRISSIMI HASSIÆ
PRINCIPIS LUDOVICI, CONSILIARIO, IN-
clytæ Academiae GIESSENÆ Cancellario, & Profess.
primario, Præceptori suo officiosè colendo,

Publico examini subicit in Collegio Ictorum.

CHRISTOPHORUS Kalt/
SPIRENSIS.

Qui, quæ vult, dicit, ea, quæ non vult, audiat.



GIESSÆ HESSORVM,
Excudebat Nicolaus Hampelius, Acad. Typogr.

MDCIIX.

*De Potestate Imperatoris legibus soluta.
10. Vol. XXV. 21.*





ILLVSTRISSIMO, AC CELSISSIMO PRINCIPI
ET DOMINO,

DN. LUDOVICO,
HASSIÆ LANTGRAVIO, COMITI
IN CATZENELNBOGEN, DIETZ, ZIE-
GENHAIN, ET NIDDA, &c. DOMINO
suo Clementissimo,

*Hanc de Potestate summi Principis, & hodie-
no Imperii statu disputationem submissè di-
cat ac offert*



Christophorus Ralt / R.

S(:)S
S





THESIS I.



Citum & tritum est illud Philosophi: Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas, cuius amore vel propria tollere Sapientem decet.

2. Hoc secuti nuperrimè & liberè pro more & jure Academico, sic & cum honoris præfatione veniaq; petitâ modestè contra quondam Preceptorem & Collegam nostrum *Hermannum Vulteium*, J.C. Marpurgensem, in publica disputatione, quam de Jurisdictione Cameræ Imperialis habebamus, Corollarii loco proposuimus & defendimus, dictu nefas esse, *nō ut olim, ita hodiè Principem legibus solutum esse, ut de eo, an Princeps legibus teneatur, necne, solcitè inquirere non admodum sit necessarium.*

3. Ipsum Corollarium his constat verbis: *Nefas sit cum Dn. Vulteio in l. 1. n. 8. C. ubi fenat. vel clariss. (quod pace tanti viri, Præceptoris nostri observandi dictum volumus) asserere, Imperatorem hodiè legibus non esse solutum.* Vide Gail 1. obs. 14. n. 6. & lib 2. obs 58. n. 2. & 9. & obs. 127. n. 7. Mynf. 4. obs 8. n. 3. & cen. 5. obs. 97. n. 10. & resp. 21. n. 69. cent. 1. Hartm. Pist. 2. q. 40 n. 40. in fin. Schneid. de feud. p. 2. c. 5. n. 39. v. quod procedit. Ant. Hering. in tract. de fidejuss. c. 7. n. 110. Zaf. conf. 1 n. 22. in fin. lib. 2. Nicol. Everhard. Jun. conf 5. num. 82. & conf. 13. n. 1. & 2. vol. 2 Fichard. consil. 70. n. 12. vol. 1.

4. *Eo nomine præter omnem opinionem grandis dica nobis scribitur, dum & privatim & publicè de ingratitude & immodestia conqueruntur, seq; verbi (nefas) acrimoniâ laesos, & nostram*

sententiam ab hodierno iure alienam esse, nec ullo nos dignari respo-
so ex cathedrâ clamitant, ne per suum nomen inclarescamus.

5. Profectò valdè mirati sumus hanc animi impotentiam:
quam dum patienter toleramus, ecce Zoilum lumine luscū & scur-
ram submitunt (scimus enim illic ex statuto nihil typis committi,
nisi prius viderit & permiserit Facultas) qui non doctè dictus, sed
maledictis, in nos insurgit, atq; inter innumera convitia, qua men-
daci impioq; calamo in nos contecit, ipsas theses nostras nefarias
& nefaria manu conscriptas esse, scribere non erubuit.

6. Ita indignè provocati, ex tempore responsum & defen-
sionem parare coacti sumus, ad quam antequam descēdamus, homi-
nem illum supposititium hoc uno elogio: (Recipe tua in nos jacta
convitia, tanquam mēdax, improbus, scurrilis & nefarius
ipforum architectus aut architecti organum, & omni ho-
mestorum consortio, donec ea probaveris, probabis au-
tem nunquam indignus) ad suos fautores remittimus.

7. Et verò ut clarescere per aliorum nomina hac veri in ve-
stigatione non cupimus, nostrâ sorte contenti, sic & sciant, non eâ se
claritate fulgere, ut oculi nostri illâ perstricti, quid rectè aut quid
perperam ab istis dicatur, nullibi videre queant, aut visum eloqui
non ausimus.

8. Ceterùm quærimoniam de verbi acrimoniâ quod attinet,
si M. Tullius in libr. de senect. scribere nō dubitavit, dictu nefas
esse, miserâ fuisse Q. Maximi senectutem: nobis etiam licebit
adversus illos, qui quid sacre Casareæ Maiestati, de cuius potestate
dubitare sacrilegii instar esse passim Doctores scribunt, si ve errore, si-
ve (quod tamē nō arbitramur) studio detractum eunt, istâ voce uti.

9. De quo eò minus dubitare licebit, si quantum ex ipsorum
sententiâ sacre Casareæ Maiestati deccedat, paucis cognoverimus.

10. Extra controversiam positum est, ut divino, naturali
aut gentium iure, sic & legibus imperandi, qua cum ipsâ Maiestate
coniuncta sunt, eamq; immediatè cōcernunt, si ve tacitè, si ve expres-
sè.

sè Principi data sint, & olim obligatum Principem fuisse, & etiam-
num illis teneri. Bodin. lib. 1. de Republ. c. 8. n. 88. in fin. Ho-
toman. illust. quæst. 1. Dauth. ad l. 3. n. 5. C. de testam. Zoan-
net. de. Rom. Imp. n. 171 184. & seqq Knich. de Saxon. nō
provoc. jur. verb. Ducum Saxonix c. 1. n. 37. Tiber. Decian.
resp. 19. n. 124. vol. 3.

11. Omnes enim, omnes, inquam, Principes, Imperatores &
Reges, conditionibus, quibus ad Imperium vel regnum evecti sunt,
ex conventionem quâdam, saltem tacitâ, quæ ex æquo omnes mortales
alligat, obstringuntur: nec ullus etiam, nisi per tyrânidem imperium
sive regnum invaserit, sine certis conditionibus, saltem illis, quæ ex
communi benè imperandi sive regnandi naturâ dependent, ad Im-
perium sive regnum adscendit.

12. Conditiones autem, quibus Principes ad imperium, Re-
ges ad regnum recipiuntur, nō sunt uniusmodi, sed vel pauciores, vel
plures, prout monarchia purior est & liberior, vel Aristocratico aut
Democratico temperamento restricta.

13. Ita nostro tempore, ubi Monarchia cum Aristocratiâ
coaluit, sic tamen ut Monarchia prædominetur, istiusmodi leges &
cōditiones, imperatori proponi necesse fuit, quibus aristocraticum il-
lud temperamētum, salvâ monarchiâ, conservari & sustineri posset.

14. Huc pertinet tota Aurea Bulla Caroli IV. huc item per-
tinent cōditiones, in quas Imperator, antequam inauguratur, iurat:
quibus ipsum solutum esse, nullus sana mentis dicet aut cogitabit.

15. Dubio quoq; omni caret, teneri Principem illis legibus,
ad quarum observationem publicâ cum Statibus Imperii in itâ con-
ventionem se devinxit. Schard. de feud. p. 10. sect. 5. num. 185. &
seqq. Myns. conf. 24. n. 19. Dec. 3. cent. 1. Zas. conf. 10. n. 6.
26. & seq. lib. 2. Nihil enim tam congruum est fidei humanæ, quàm
pacta servare, & fidem datâ non fallere, l. 1. de pact. l. 1. de const.
pecun. quâ lege omnes homines equaliter tenentur. Petr. Ant. de
Petra de jur. quæst. per Princ. non tollend. c. 3. p. 3. n. 72. 73.

& 80. Cuno de pact. libr. i. c. 24. nu. 20. cum seqq. Menoch.
conf. 27. n. 23. & seqq. lib. i.

16. *Controversia igitur nostra est de aliis, quae supersunt (super
sunt autem quam plurima) merè civilibus & positivis legibus, an
illis hodiè Imperator omninò teneatur, nec ullà amplius solutà legibus
potestate fruatur.*

17. *Nam persuadere nobis non possumus, quòd Vlteius illas
duntaxat leges intellexerit, quae ad Imperii formam & statum publi-
cum pertinent. Quis enim ex ipsius verbis vel hariolarii illud posset?
Nam ut oppositio ab ipso facta docet, loquitur de illis legibus, de qui-
bus olim dictum & scriptum fuit: Princeps legibus solutus est.
Oppositio enim fieri intelligitur circa idem & eodem respectu, non
circa diversa, & respectu diverso. De legibus autem regnandi sive
imperandi olim nunquam fuit dictum sive scriptum, quod illis Prin-
ceps solutus sit, sed de aliis legibus merè civilibus & positivis, quibus
& ipsa Augusta solvi potuit, d. l. 31. D. de legib. l. 23. de legat. 3.
l. 14. §. ult. de manumiss. l. 3. C. de testam. l. penult. C. de do-
nat. int. vir. & ux. §. ult. Inst. quib. mod. testam. infir, Paul.
4. sent. 5. §. 3.*

18. *Idem apparet, si praecedentia cum sequentibus apud Vultei-
um coniungamus. Dicit enim olim Imperatores ullum iudicem
non agnovisse, nisi id fecerint sponte, quia soluti fuerint legibus pro
ratione habentes voluntatem. Hodiè verò etiam ipsum Imperato-
rem coram comite Palatino Rheni, sacri Imperii Archidapifero con-
veniri posse. Ex quo infert, non ut olim, ita hodiè Principem legibus
solutum esse, ut de eo, an Princeps legibus teneatur, necne, sollicitè in-
quirere non admodum sit necessarium.*

19. *Ita igitur argumentatur: Qui solutus est legibus, iudi-
cem coram quo conveniri possit, non habet. Imperatores olim soluti
erant legibus. Ergo iudicem, coram quo conveniri possent, non habe-
bant. Contrà: Qui iudicem habet, coram quo conveniri possit, legi-
bus solutus non est. Imperator noster iudicem habet, coram quo con-
veniri possit. E. legibus solutus non est.*

20. Hanc posteriorem argumentationem, ut nos omninò non admittimus: ita ex eà satis constat, quod quibus legibus Iustinianus olim Principem solutum affirmabat, iisdem ipsum hodiè teneri Vulteius existimet. Non enim particulariter concludit. Principem legibus solutum non esse, sed universaliter: sicut & in priori syllogismo ab illâ solutâ legibus potestate nò particulariter, sed generaliter sumptâ argumentum ducit.

21. Quod si hæc ipsius mens non fuit, cur adiecit? ex eo, quod non ut olim, ita hodiè Princeps legibus solutus sit, consequi, non admodum necessarium esse, sollicitè inquirere, an Princeps legibus teneatur, necne. Si enim legibus, quibus olim solutus fuit, etiamnum solutus est, utiq; ista disquisitio non minùs hodiè utilis est & necessaria, quàm fuit olim: quod tamen Vulteius negat, quia scilicet Principem istis legibus hodiè teneri arbitratur.

22. Deniq; in summario his generalibus & perspicuis verbis sententiam suam exprimit: Princeps hodiè legibus solutus non est: cui novissimè etiam Tobias Paurmeisterus assentitur de jurisd. Imp. Rom. lib. I. c. 19. n. 6. & 8. sed nos contradicimus. Ac proinde status controversiæ sic est. An Princeps legibus, quibus olim solutus erat, hodiè teneatur? Vulteius affirmat. Nos negamus. Rationes nostræ sunt hæc:

23. I. Quæ iure Romano Imperatoribus sunt concessa, nec postea tacitè vel expressè adempta, illis etiamnum gaudent & feruntur. arg l. 32. in fin. C. de appellat. l. 27. C. de testam. l. 26. 27. & 28. D. de legib. Iure autem Romano Imperatoribus soluta legibus potestas est concessa. l. 31. D. d. tit. l. 23. de legat. 3. §. fin. Inst. quib. mod. testam. infirm. Nov. 105. c. 2. in fin. Vultej. ad §. sed & quod Principi. n. 4. & seq. Inst. de jur. nat. gent. & civ. nec doceri potest, quod illis unquam tacitè vel expressè in totum adempta fuerit, Ergò etiamnum illâ potestate gaudent & fruuntur.

24. II. Cui competit Maiestas, ei simul competit soluta legibus potestas. Vult. I. J. R. 12. vers. lege soluta. Bodin. de Rep. lib. I.

libr. c. 8. Alberic. Gentil. in disput. de potest. regis absolut.
pag. 9. Dauth. ad l. 3. n. 2. C. de testam. *Imperatoribus nostris
competit maiestas, ut testantur Imperii Constitutiones & Ordinatio
Camera infinitis locis, testatur idem indies Imperii Procere. Ergò si-
mul illis competit soluta legibus potestas.*

25. III. *Qui fruitur plenitudine potestatis, is soluta legibus potestatem habet: hac siquidem per illam notari solet, arg. c. 4. & ibi Dd. ext. de concess. præbend. Omphal. libr. 2. de potest. Princ. c. 2. Alberic. Gent. D. disp. de potest. reg. absol. pag 10. Gail. 2. obser. 56. n. 11. 12. 13. & 16. Myns. 4. obs. 8. n. 4. Imperatores nostri fruuntur plenitudine potestatis. Aur. Bull. Caroli IV. in præf. circa fin. tit. 2. in pr. tit. 8. t. 13. in fin. & tit. 16. Recess. Imp. de anno 1495. de pace public. rubr. Von Sazchen/so sich vor diesem Landtfrieden begeben haben. illis verbis: Von Römischer Königlichcher Macht/ Vollkommenheit/ vund rechtem Wissen/ & de an. 1544. S. Als wir aber/ ibid Auß vnserer Keyserlichen Macht vund Vollkommenheit. & de anno 1555. S. Solches alles vund jedes. & hac clausula (Auß rechtem Wissen/vund Römischer Keyserlicher Macht vund Vollkommenheit) in rescriptis suis & privilegiis utuntur, ut probat experientia. Habent ergò Imperatores nostri solutam legibus potestatem.*

26. IV. *Qui privilegia concedit, soluta utiq; legibus potestate, utitur, l. 16. de legib. l. 1. §. ult. l. 3. de const. Princip. §. sed & quod Princip. Inst. de jur. nat. gent. & civ. Alexand. Raudens. de analog. c. 15. n. 56. Petr. Ant. de Petra de jur. quæf. per Princip. non tollend. c. 24. n. 218. Anton. Fab. in sua jurispr. lib. 1. tit. 2. princip. 8. ilad. 2. Bursat. conf. 131. n. 74. lib. 2. Imperator in hunc usque diem privilegia concedit, teste experientia. Vide Tob. Paurmeist. de jurisd. Imp. Rom. lib. 1. c. 4. n. 6. & lib. 2. c. 1. n. 34. Ergò, &c.*

27. V. *Qui rescriptis suis ex certa scientia iuri communi merè positivo derogare, & legis gratiam facere potest; eum soluta legibus*

nibus potestate prae dictum esse necesse est, argum. l. 7. C. de precib. Imp. offer. d. l. 1. §. ult. D. de consent. Princ. l. 1. cum ibi not. à Goth. C. de legib. Nov. 139. c. 1. Vultej. ad §. sed & quod principi. 5. Inst. de jur. nat. gent. & civ. Zas. ad l. Princeps. n. 2. D. de legib. *Imperatores nostri rescriptis suis ex certa scientia iuri communi merè positivo derogare, & legis gratiam facere possunt: indeq; illa clausula (Non obstante iure communi, cui, quatenus contrarium est derogamus) saepe utuntur. Exempla sunt in promptu. Vide Zas. ad dict. l. Princeps. n. 12. in fin. ubi dicit quotidie hoc fieri. Gail. 1. obs. 14. n. 6. Ergo, &c.*

28. VI. *Qui quando libuerit, dominium nuda voluntate citra traditionem transferre potest; eum iure communi non teneri, sed legibus civilibus solutum esse oportet, l. 20. C. de pact. l. 15. C. de rei vindic. l. 6. C. de hered. vel act. vend. Carol. Tapia in rubric. D. de constit. Princip. c. 1. n. 11. & 12. Imperator noster illud facere potest, praesertim per liberalem concessionem, ut in Camera Imperiali conclusum fuisse testatur. Gail. 2. obs. 55. in pr. junct. n. 6. adde Hartm. Pist. 2. q. 29. n. 26. Ergo, &c.*

29. VII. *Qui in actibus, quos gerit, iuris solennia observare non tenetur, legibus solutus est. arg. l. 14. §. 1. de manumiss. l. 3. C. de testam. junct. d. l. 31. de legib. ad del. 34. C. de donat. l. pen. C. de donation. int. vir. & ux. l. ult. in fin. C. de quadr. praescript. Nov. 52. c. 2. Coras. 2. miscell. 25. n. 4. & 5. Vasq. 1. contr. 26. n. 15. Imperator noster in actibus, quos gerit, iuris solennia observare non tenetur, ut testatur ipsa praxis. Vide etiam Zas. ad d. l. Princeps. n. 3. de legib. Gail. 1. obs. 42. n. 1. 2. & 3. obs. 87. n. 6. Tob. Paurmeist. lib. 2. de Jurisd. Imp. Rom. c. 5. n. 42. Nicol. Everhard. Jun. conf. 63. n. 31. vol. 1. Ergo, &c.*

30. VIII. *Non est subiectus legibus, sed supra leges, & illis solutus, qui tempus ad conficiendum Inventarium lege praescriptum ultra annum prorogare. l. ult. §. 3 & 11. C. de jur. delib. adolescenti septendecim annorum aetatis veniam dare. l. 2. in pr. & §. ult. C.*

B, de

de his qui ven. ætat. impetrav. rescripto suo liberos naturales et si
extent liberi ex iustis nuptiis suscepti, legitimos reddere. Novell. 89,
c. 11. §. 1. reo criminis pœnam à lege indictam non tantum mitigare,
sed & in totum remittere. l. 1. §. 4. ad SC. Turpil. junct. l. 9. §. 11.
in fin. de pœn. l. 7. Cod. de precib. Imp. offer. & deniq; pactis,
quibus hereditas defertur, de iure civili invalidis, suâ auctoritate
robur addere potest, l. 15. C. de pact. l. 5. C. de pact. convent.

31. Potest autem Imperator noster tempus ad conficiendum
inventarium lege præscriptum ultra annum prorogare, ut compro-
bat experientia. Vide Guidon. Pap. in tract. de rescript.
num. 43. & in tract. de invent. num. 12. & decis. 571. Ro-
land. à Vall. de invent. §. item omittendum non est, n. 6. po-
test adolescenti 17. annorum ætatis veniam dare, ut evincit rursus
experientia. Vide Anton. Hering. de fidejuss. c. 7. n. 110. Potest
ex communi Doctorum sententia rescripto suo liberos naturales legi-
timos reddere, et si extent liberi ex iustis nuptiis suscepti. Gail. 2. obs.
142. n. 7. & 8. Forst. 6. de success. 37. n. 40. Rosenth. de feud.
c. 7. conclus. 19. n. 25. Ant. Gabriel. commun. conclus. lit. 6.
tit. de legitim. conclus. 6. n. 6. M. Anton. Peregrin. de fidei-
comm. art. 23. n. 57, & 60. Covarr. de sponsalib. & matrim.
part. 2. c. 8. n. 8. v. ex quo infertur, potest reo criminis pœnâ à le-
ge indictam non tantum mitigare sed & in totum remittere, ut si-
milter testatur experientia. Vide Tiber. Decian. in tract. crim.
lib. 3. c. 35. n. 42. & 94. Cacheran. decis. 101. n. 1. Tessaur. de-
cis. 21. Farinac. in pract. crimin. lib. 1. tit. 1. q. 6. n. 2. Heig. 2.
quæst. 22. n. 6. & seqq. potest deniq; pactis de iure civili invalidis
sua auctoritate robur addere, quod itidem ostendit experientia. Vi-
de Gail. 2. obser. 127. n. 5. 6. 7. Zas. cons. 1. n. 22. lib. 2. Nicol.
Everhard. jun. consil. 13. n. 1. & 2. vol. 2. Non est igitur legibus
subiectus, sed supra leges.

32. Breviter: Si Imperator noster legibus solutus non est,
iuris solennitates instar privati observare tenebitur, nec pacta suc-
ces-

cessoria aliáque sibi iure civili improbata confirmare, nec ante 20. annum aetatis veniam dare, nec tempus ad conficiendum inventarium lege definitum prorogare, nec pœnam iure civili dictam ulli remittere, nec iuris civilis ulli ullâ in re gratiam facere, aut illud egredi, nec privilegia concedere poterit, nec legibus civilibus præerit, ut Imperii caput, sed earum vinculis, ut subiectus constringetur, ipsaq; adeò maiestate destituetur. Hocine verò dictu nefas non erit?

33. Multa alia, quibus sententia nostra firmari posset, scientes volentes omittimus, vel hoc unum sufficere debebat, quod ea in Imperio usu recepta, iudicio Camera Imperialis comprobata, & apud Doctores Germania in praxi exercitatisimos indubitata est.

34. Sed videamus nunc argumentum, quo ^{.....} initio motus in hanc sententiam descendit. Est autem tale, ut & supra diximus: Qui iudicem habet, coram quo conveniri possit, & respondere teneatur, legibus solutus non est. Imperator noster iudicem habet, coram quo conveniri possit, & respondere teneatur. Aur. Bull. Caroli V. tit. 5. in fin. Ergo legibus solutus non est.

35. R. Primò propositio absolutè vera non est. Olim enim in puriore Monarchia Principes nō habebant iudicē, nisi quem spontè eligerent, nō ideò, quia legibus soluti essent, ut perperam existimat Vulteius (non enim omnibus legibus soluti erant, non certè lege contractus: tum demum autem de iudice quæri poterat, cum Principes non ab omni obligatione & iusta petitione liberi, sed cum alteri obligati erant,) non, inquam, ideò iudice carebant, quod soluta legibus potestate, sed quod suprema iurisdictione, qua parem aut superiorem nō patitur, fruerentur, inferior autem in superiorem imperium exercere, ipsiq; in vitio ius dicere non posset, l. 3. in fin. & l. 4. de recept. arbitr. l. 58. de iudic. l. 13. §. 4. ad SC. Trebell. Etsi verò in potestate principis hæc duæ qualitates concurrunt, quod & suprema est, & legibus soluta, & hæc posterior à priore quodammodo dependet: illa tamen latius patet, pluraq; complectitur, quàm hæc, ac proinde inter se

confundi debent. Quod igitur hodiè ex publica & fundamentali Imperii lege Imperator certum iudicem habet, eo quidem ipsius suprema iurisdictio nonnihil temperatur, ut videbimus paulò post: sed soluta legibus, qua & olim fruebatur potestas, ipsi non adimuntur.

36. Sanè Ulpianus scribit, licet Augusta legibus soluta non sit: Principes tamen eadem illi privilegia tribuere, quæ ipsi habent. d. l. 31. de legib. Augusta verò coram Imperatore conveniri poterat, eumq; iudicè agnoscebat. Nam & in eo Princeps supra leges est, quod uxori quoq; & liberis suis ius dicit. Bart. ad l. un. n. 11. & ibid. Gilken. n. 2. C. ne quis in caus. sua iudic. Restaur. in tr. de Imp. q. 91. n. 2. Menoch. conf. 2. n. 22. lib. 1.

37. Deinde non exponit Aurea Bulla, quibus ex causis Imperator conveniri possit (hoc enim aliunde repetendum est) sed coram quo iudice, & ubi hæc cognitio sit exercenda.

38. Quanam verò illæ causæ sunt, ex quibus conveniri Imperator potest? Nam ideò, quod soluta legibus potestate in illis, quæ sunt iuris merè positivi usus fuerit? quod testamentum condiderit sine solennitatibus? ultra quingentos solidos donaverit sine insinuatione? adoptionem non iure factam confirmaverit? confirmaverit pactum de succedendo? pœnam lege indictam remisit? legitimum tempus conficiendi inventarium prorogavit? aut adolescenti minori 20. annis veniam ætatis dederit? &c. Nemo dicet, ut opinamur.

39. Relinquitur igitur, salva in reliquis suprema Principis potestate, ex illis causis illum conveniri posse, quibus & olim aliis obstringi poterat: veluti ex contractu.

40. Etsi verò in eo aliquid suprema iurisdictioni, vel etiam (ponamus ita) soluta legibus potestati detractum videri potest, quod non, ut olim, ita hodiè Princeps nullum, sed certum iudicem habet, coram quo conveniri potest, & respondere tenetur: inde tamen non sequitur hodiè legibus omninò Principem solutum non esse, ut de eo, an Princeps legibus teneatur, nec ne, sollicitè inquirere non admodum sit necessarium. Eo enim ipso, quod lege illa Imperii fundamentali in uno vel altero su-
pre-

prema vel etiã soluta legib. potestati detrahatur, ne fortè per abusum
latius evagetur, in reliquis non mutatis ea confirmari intelligitur.

41. Et certè ipse Carolus IV. soluta legibus potestate usus est,
ut patet ex clausula de plenitudine Imperialis potestatis, toties in Au-
rea Bulla repetita: eademq; potestate usi sunt, illius successores, & et-
iam nunc assiduè vitur Imperatoria Maiestas.

42. Illud verò hic notari velimus, quod potestate legibus so-
luta tum demum Imperator uti debeat, cum maiestatis, iustitiæ, æ-
quitatis aut publicæ utilitatis sive necessitatis ratio id requirit: extra
quos casus si ea Princeps utatur, potiùs abuti videtur. Dauth. ad l. 3.
n. 5. v. nos ut omnem. C. de testam.

43. Eum enim, qui leges facit, pari maiestate legibus obtem-
perare convenit. Paul. 4. sent. 5. §. 3. & nihil tam proprium est Im-
perii, quàm legibus vivere. d. l. 3. C. de testam. dignaq; vox est ma-
iestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri: & revera
maius Imperio est, submittere legibus principatum. l. 4. C. de legib.
iuncto §. ult. Inst. quib. mod. testam. infirm.

44. Iam verò querimus ex Vulteio an Imperator, qui fi-
dem per contractum datam implere recusat, eo nomine requisitus, iu-
stitiæ & æquitate postulante, saltem boni viri aut Consiliariorum
suorum arbitrio ultrò se submittere teneatur? Num putat, hic eum
uti debere, & salva conscientia uti posse absoluta potestate, & omnem
cognitionem subterfugere? Hoc profectò valdè inverecundum esset,
ut loquitur Paulus in l. 23. de legat. 3.

45. Hoc verò cum & olim ita se habuerit: quid igitur mi-
ramur, quod Germania nostra Principem ad hoc lege publica devin-
xit, quod & citra ullam legem æquitas & iustitia ab ipso exposcit?

46. Nam & Interpretes iuris tradiderunt, quamvis Prin-
ceps in causa propria ob supremam potestatem iudex esse possit. l. 41.
ibi Bald. Goth. & alii. de hered. instituend. l. pen. de his, quæ
in testam. delen. Bart. ad l. un. n. 1 & ibid. Gilken. n. 2. C. ne
quis in caus. sua judic. Tob, Pauermeister. lib. 2, de jurisd. Imp.

Rom. c. 5. n. 81. rectius tamen facturum & decentius, si vel Consiliariis suis istam causam diiudicandam commiserit. Jaf. in l. est receptum, num. 5. & ibid. Zas, num. 9. de jurisd. Sichard. in l. 1. n. 2. & 3. C. cod. Rosenth. de feud. c. 12. q. 3. n. 4. & seqq. Menoch. consil. 2. n. 116. lib. 1. Pruckman. conf. 36. num. 12. cum sequentibus.

47. Quod ex opinione Doctorum est honestatis, ex consuetudine Germaniae, & hanc consuetudinem approbante Aurea Bulla factum est necessitatis. Nam & Elector Palatinus Consiliarius est Imperatoris, & quasi pars corporis ipsius, teste Aurea Bulla tit. 24. in pr. & tit. 21. in princ. itemq; Elector iudicium contra Imperatorem intentatum, non in propria, sed in Imperiali Curia, ubi Imperator degit, exercere tenetur. Aur. Bull. d. tit. 5. in fin. ut ipsa Imperatoria Maiestas in sua curia, & per suum Consiliarium in propria causa quodammodo iudicare videatur.

48. Non ergo per istam consuetudinem adempta est Imperatori soluta legibus potestas: sed cum alteri obligatus est, veluti ex contractu, iudex monstratur, coram quo conveniri possit, sicut servetur aequitas, nec eò minus tamen salva maneat Imperialis Maiestas.

49. Quid verò cogitabas, Hermanne Vultei, dum & illud per tuum scurram obiici nobis volebas, ideò Principem legibus solutum non esse: quia leges universales suo arbitrio, sine Statuum consensu ferre & abrogare nequeat?

50. Recollige, quaesumus, animo tuo, & in mentem revoca, quae in §. sed & quod Principi. n. 5. Instit. de jur. nat. gent. & civ. hac de re ipse literis prodidisti: Verba tua haec sunt: Quod ad Principem attinet, Ulpianus disertè scripsit, principem legibus solutum esse. l. Princeps, 31. D. de legib. quam legem, de abrogatione, derogatione, subrogatione vel obrogatione legum, itemq; de confirmandis his, quae jure facta non sunt, ut interpretemur, sicuti interpretatus est Cujacius 15. obs. 30. ea quae de Augusta subjiciuntur, non patiun-

tiuntur. Legum enim latio, vel derogatio, aut si quid ejus-
modi est aliud, ad Augustam ulla ex parte non pertinent,
ut Princeps illi privilegium aliquod eo nomine tribuat,
aut tribuere possit. Haud equidem inficior Imperatorem
non tam esse subiectum legibus, ut non habeat in potesta-
te sua alias ferre leges, quod etiam D. Augustinus in Epi-
stola quadam meminit. Sed quaestio hæc ab illa, quam tra-
ctamus est alia. *Aliud enim est quærere, An Princeps leges latas
tollere, in earumq; locum alias ferre possit: aliud, an legibus latis, &
in vigore suo permanentibus vivere teneatur. Et hæc quaestio huius
loci est propria.* Quam distinctionem probè etiam animad-
verit Accursius in d. l. Princeps. & ibid. Coras. in fin. idem-
que Coras. 2. miscell. ult. n. 6. *Solutum autem legibus intelli-
mus eum, qui leges servare aut iis vivere necesse non habet: quæ ex-
positio probatur expositione eius, quod solutum esse dicitur
in §. fin Inst. quib. mod. testam. infirm. & in l. ex imper-
fecto. 23. D. de legat. 3. & ex Dionis Cassii histor. lib. 53. ubi
ait, legibus soluti sunt Imperatores, hoc est, liberi sunt ad
omni coactione legum, nec ulla lege scripta tenentur, ad-
ditq; Dio, illud, Legibus solutum esse, totidem verbis La-
tinis dici, ut videantur illa verba quodammodo fuisse so-
lennia: & certè phrasin illa Livio perquam est familiaris, ut
apparet ex historiæ ipsius libr. 10. 31. & 39. unde constat et-
iam ante Imperatores hanc phrasin usurpatam fuisse, pro
eo, quod Canones dicunt, DISPENSARE, & Capitolinus
in Antonio Philosopho, GRATIAM FACERE, aliosq; lo-
cos huc pertinentes annotavit Budæus in dict. l. Princeps.
eundemq; sequutus Zasius. *Hactenus tua verba, Vultei. Plura
non addimus ex mente nostra: sufficiat enim tibi in presenti propria
responsio.**

51. *Nec etiam ad rhombum quicquam facit, quod i-
dem tuus Institor nobis opponit: obligari autem vel nobis ipsis re-
sponsibus,*

B 4

stibus,

stibus, Principem ordinatione Camera Imperialis. Obligatur enim utiq; sed, ut dicebamus, ex publica cum statibus Imperii inita conventionione, Ordin. part. 3. tit. ult. & p. 2. tit. 35. & in procem. §. penult. Gail. 1. obs. 41. n. 3. & 4. Myns. resp. 24. n. 19. cent. 1. qua an obligetur, nostra questio non est, sed an legibus merè civilibus & positivis, quibus olim solutus erat, hodiè teneatur.

52. Mera verò Principii petitio est, quod oggannit tuus Mango, Legibus Imperii, quas fundamentales appellant (de illis enim agimus in loco, quem allegat) Imperatorem teneri: Has autem leges tales esse, ut imperatorem legibus subiiciant. Mera, inquam, hæc est principii petitio. Id enim queritur, an hodierna imperadi leges tales sint, ut Principem legibus merè civilibus & positivis, quibus olim solutus erat, subiiciant? Tu affirmas: nos negamus. Ineptè igitur argumenti loco adducitur, quod in ipsa versatur questione.

53. Ostende nobis, ostende quæsumus, Vultei, ex ipsis Imperii legibus ex Aurea Bulla vel ordinatione Camera, principem illis legibus, quibus Iustinianus in d. l. 31. de legib. solutum pronunciat, hodiè solutum non esse, ut de eo, an Princeps legibus teneatur, nec nè, sollicitè inquirere non admodum sit necessarium. Expectamus testimonia, quæ antequam protuleris, proferes autem nunquam, nostram thesin, ut conscripta est, audacter repetimus.

54. Porrò in nupera illa disputatione hanc quoq; thesin Corollarii loco adjecimus: Inviçtilissimum Romanorum Imperatorem RUDOLPHUM II. Dominum nostrum omnium Clementissimum (cuius Maiestati pro immensis in nos collatis beneficiis & privilegiis Academicis vitam longevam, firmam valetudinem, imperium florentissimum, victoriam & felicitatem perennem à Deo exercituum subinde animitus precamur) verum Monarcham esse defendimus constantissimè cum Petr. Heig. 1. q. 2. n. 21. & seqq. & And. Knich. de Saxon. non provoc. jur. verb. Ducum Saxonix. c. 1. n. 1. usque ad n. 39. Diss. Bodin, in method. histor. c. 6. & de Republ. libr. 2. c. 6. n. 223. cum seqq.

Aliter

Aliter Dn. Vult. in Epist. dedic. comment. ad tit. C. de Jurisd. vide Peuc. in Cronic. Carion. libr. 5. §. etsi igitur. cum seqq. & Confer Schleidan. in. hist. Carolina, lib. 1. §. ubi ventum est, pag. 20.

55. *Quæ nostra mens fuerit, non tantum in ipsâ disputatione, sed antea quoq; in disput. feud. 1. thes. 3. lit. c. luculenter exposuimus. Verba nostra hæc sunt:* Feudum verè & absolutè ligium conferre potest Imperator noster. Dn. Vult. 1. F. 8 n. 22. Menoch. consil. 32, num. 6. vol. 1. quem non dubitamus appellare Monarcham & caput Romani Imperii cum Petr. Heig. 1. q. 2. n. 21. & seqq. & And. Knich. de Saxon. non provoc. iur. verb. Ducum Saxonie, c. 1. à n. 1. usque ad n. 39. contra Bodinum in method. histor. cap. 6. & de Republ. lib. 2. c. 6. num. 223. cum seqq. Etsi enim hodiernus imperii status merè Monarchicus non est; sed Aristocratiâ temperatus: præeminet tamen Monarchia & Majestas Imperatoris ita, ut Monarchæ titulus ipsi meritò tribuatur. *Hæc cum Adversarii se legisse fateantur, de mente nostrâ certi fuere, nec ullam ignorantiam prætexere possunt.*

56. *Ab hac autem sententiâ Vultei non simpliciter, sed quoad quid dissentit. Ita enim scribit:* Hinc factum est, ut cum ante Carolum Magnum Imperium Romanum fuisset Monarchicum, idemq; Monarchicè gubernatum, id quidem à tempore Caroli Magni huc usque Monarchicum manserit, sed cujus gubernatio sit Aristocratica, quæ ab ipso statu Imperii est alia.

57. *Discrimen illud inter statum ipsum & modum gubernandi hausit ex Bodin. cuius verba ex lib. 2. de Republ. c. 2. n. 189. hic subiicere placet:* Illud (inquit) admonendi sumus, Reipublicæ statum ab imperandi ratione distare plurimum: quod antea nemo, quantum intelligere potuimus animadvertit. Nam Reipubl. status Regalis esse potest, gubernatio tamen popularis futura est, si Rex omnia Imperia, sacerdo-

C

tia,

tia, curationes, pœnas item ac præmia omnibus ex æquo distribuat: si vero Princeps imperia, honores, magistratus patritiis, vel divitibus, vel fortibus, vel studiosis tantum impertiat, regia potestas erit, & quidem simplex ac pura, sed Aristocratica ratione temperata. Ita quoque Optimates pauci Rempublicam populari modo regere possunt, si cives omnes omnium magistratum participes fecerint: aut Aristocraticè, si paucis quibusdam, qui aut virtute, aut censu, aut nobilitate cæteris præstent: quæ diversitas eos in errorem impulit, qui Respublicas plures tribus, erroris opinione sibi finxerunt. *Hactenus Bodinus.*

58. Ubi probè notandum, quod, dum dicit, statum regalem sive Monarchicum Aristocraticè posse gubernari, soli Monarchæ iura Maiestatis ex æsse tribuit, Optimatibus omni ex parte exclusis, quos duntaxat ad externum gubernandi modum adhiberi censet. Id enim præcedenti capite latissimè disputavit, & hæc causa est, quod contra alios statum verè mixtum, in quo optimates de ipsis Maiestatis iuribus participant, dari posse acriter negat.

59. Quoniam igitur Hermannus Vulteius Bodini sententiam ad nostrum Imperium applicat, & statum eius Monarchicum, solam verò gubernationem Aristocraticam pronunciat, à nobis utique dissentit. Ille enim ipsum statum absolutè Monarchicum dicit: nos mixtum: ille Proceres propriè ad nullum maiestatis consortium admitti: nos ex parte admittimus: & quæ admodum in præcedenti 2. augustissima Cæsare maiestati, ita hoc loco potentissimis sacri Rom. Imperii ordinibus ab ipso (nisi aliter se explicet) detractum opinamur.

60. Hoc significare voluimus, dum propositâ nostrâ sententiâ, & Bodino, qui è diametro nobis adversatur, reprobato, ab utriusque consortio Vulteiium exclusimus his verbis: Aliter (sentit) Dn. Vultej. in Epist. dedic. comment. ad. tit. C. de Iurisd. De quâ nostrâ mente ut eò constaret manifestius, immediatè subiicimus, videndum esse Peucerum in Chronic. Carion. libr. 5. §. etsi igitur
cum

eum seqq. Is enim Vulteio disertè contradicit; nostram verò sententiam amplectitur. Ut proinde planum sit, aliter de proposita questione nos, aliter Vulteiū sentire, eosq; in manifestâ calumniâ & mendacio deprehendi, qui nos calumniâ & mendacii hic insimulare non verentur.

61. Quid autem causâ sit, quod à Vulteio recesserimus, hoc duntaxat & sequenti syllogismo (pluribus enim hic opus non est, cum à proprio Defensore oppugnetur) quasi extremo digito indicabimus: Imperium, in quo Proceres, parte aliquâ iurium maiestatis, non ut singuli, sed ut universi, & quasi collegium aliquod verè fruuntur, absolute Monarchicum non est, ut fatentur omnes. In imperio nostro Proceres sive Status parte aliquâ iurium maiestatis, non ut singuli, sed ut universi & quasi Collegium aliquod verè fruuntur, ut ex iure Comitiorum & Imperii Ordinationibus manifestum est. Ergò absolute monarchicum non est.

62. Rursus: Imperium, in quo imperator in illis ipsis iuribus maiestatis, de quibus Proceres participant, integrum semissem retinet, ut imperii caput, & præterea quedam iura maiestatis sine Procerum collegio solus obtinet & exercet, ex Monarchiâ & Aristocratiâ mixtum est, & ad Monarchiam magis propendit, indeq; rectè denominatur. Vincent. Cabot. lib. 2. disput. jur. public. & privat. cap. 4. Picolom, de morib. gradu 10. c. 9, Lips. lib. politic. c. 2. v. & quicquid. Keckerman. libr. 2 System. politic. c. 4. Tale est imperium nostrum, ut patet Ergo, & c.

63. Quid hic, lusce Borusse? cur deseris tuum præsulem? An quia causâ diffidis? cum enim ille statum Imperii nostri absolute monarchicum dicat: tu ex Bodino puram putam Aristocratiâ esse contendis?

64. Num verò putas nos, quos tuus Præsul, ne per nomen suum in claresceremus, responsione indignos iudicabat, te scurrâ & tenebrionem ullo responso dignari?

65. Tecum de iurisdictione Camera Imperialis differere-

C 2 mus,

mus, qui Ordinationem Camera vix unquam vidisti, nunquam legisti? Tecum de statu Imperii nostri sententias conferremus, qui nihil prater Bodini errationes à viris doctis toties prostratas & convulsas quasi ab inferis revocas, qui thesi tuâ 78. (si conferatur cum thesi nostrâ, quam allatras) Imperatori nostro & ius & titulum Maiestatis impudentiore detrabere non erubescis? Carcere & exilio dignus es, sacrilege: non responso.

66. Et verò cum Vulteio nobis res est, & de hinc quoque erit, quotiescunque Facultas, cui praeest, istiusmodi scurrilia scripta in nos edi permiserit: cum Vulteio, inquam, qui suo ministerio non ut discipulos & excollegas, sed ut vilissimos lixas, nos tractare non dubitavit, non in nostram tantum, sed & in florentissimam Academia nostram ignominiam, res nobis est & erit: non tecum, Scurra. Te asinum saltantem ridemus, & lusci Borussi recto aspectu vitulos enectos miramur. Abi, quò trahi meritus es, abi.

67. Caterum quoniam libertatem Academicam quasi dictatoria voce nobis adimere satagunt, & theses nostras citra ullum affectum alios offendendi conscriptas calumniis exagitant, & adhuc plura, atque (si Diis placet) accuratiora contra illas minantur: age, proponimus illis, non calumniandi, sed veritatis indagandae studio, duo sequentia Corollaria, in quibus interea temporis ingenia sua exercent, plura daturi (supersunt enim innumera) cum rursus in scenam prodierint. Proximi enim nosmet ipsi nobis sumus, & existimationem nostram atque Academia nostra, contra quemcunque quocunque modo, iusto tamen & legitimo, ibimus assertum.

I. COROLLARIUM.

Si arii formandarum methodicè leges, nec non iuris rationem & veritatem accuratè sequi velimus, fatendum est libr. 2. Iurisprud. Rom. c. 74. malè definiti successione legitima, quod sit hereditatis extra casum ultimae voluntatis defuncti acquisitio: in hac siquidem definitione tria vitia evidenter ostendi possunt.

2. Ma-

2. *Malè illam distribui in personalem & representalem.*
3. *Malè item in naturalem & civilem.*
4. *Malè omnem descendentium successionem subiici successioni naturali.*
5. *Malè inseri materiam & definitionem collationis bonorum.*
6. *Malè definiri successionem naturalem secundariam, quod secundario, eoque turbato mortalitatis ordine competat extraneis, tam parentibus, quam fratribus, &c.*
7. *Malè collateralium successionem ad gradum decimum coarctari.*
8. *Malè asseri, quod inter parentes gradu pares, sed numero dispares bona defuncti in stirpes dividantur.*
9. *Malè statui, patrem, in cuius potestate defunctus fuit, bona castrensia & quasi castrensia, matre & fratribus germanis eorumque filiis exclusis, tanquam rem suam, non tanquam rem hereditatemve filii, suo iure occupare.*
10. *Malè affirmari, tum demum civili successioni locum esse, quando deficit naturalis.*
11. *Malè definiri successionem civilem, quod sit è iuris civilis titulo aliquo.*
12. *Malè eam restringi ad successionem patroni, coniugis, consortis & fisci.*
13. *Imò malè successionem patroni ad successionem illam civilem referri.*
14. *Malè de fisci successione hic tractari.*
15. *Malè coniugem à consorte separari.*
16. *Malè successionem coniugis successionem legitimam accenseri, præterquam uno casu.*
17. *Malè consortes dici, quando ipsum Collegium seu corpus universè consideratum, non autem personæ in illo collegio seu corpore existentes, quæ inter se consortes sunt, succedunt.*
18. *Malè simpliciter & generaliter de consortibus affirmari, quod*

*certis duntaxat in iure proditis datum est, nec ad ullos alios
extendi potest.*

19. *Malè item huc referri consortes liberalitatis principalis.*
 20. *Malè deniq, asseverari, quod bona damnatorum hodiè co-
gnatis ad tertium gradum relinquuntur.*
-

II. COROLLARIUM.

*Idem auctor in disceptationib. Scholastic. malè statuit, edictum Prae-
toris de quibusdam personis sine veniâ in ius non vocandis, ho-
diè cessare.*

2. *Malè contra eos disputat, qui Praetorem & Praesidem ipsum
iure ordinario moreq, prohibente olim cognoscere, nisi de certis
causis, potuisse negat.*
3. *Malè actiones praëiudiciales sub genere actionum in personam
contineri docet.*
4. *Malè interpretatur l. actionum 25. D. de oblig. & act.*
5. *Malè item §. omnium. Inst. de action.*
6. *Malè interdicta actionibus realibus subiicit.*
7. *Malè exponit §. aequè si agat quis. vers. sanè uno casu. Inst. de
action.*
8. *Malè explicat discrimen inter iuramentum voluntarium iu-
dicialè & necessarium.*
9. *Malè asserit, reos capitalium criminum absentes post litis conte-
stationem per Procuratorem plenè defendi posse.*
10. *Malè negotiorum gestorem regulariter de culpâ levissimâ te-
neri contendit.*
11. *Malè obligationem ad primum iuris obiectum (personas) re-
fert.*
12. *Malè cum Cuiacio contra Donellum simpliciter asseverat, pu-
pillum sine tutore ex contractu non obligari, nisi locupletior
factus sit.*
13. *Malè interpretatur l. si curatorem. 3. C. de in integ rest. minor.*

14.

14. *Malè l. si Titio 22. D. de pign. cum l. rem alienam. 41. D. de pign. act. conciliat.*
15. *Malè explicat l. §. item Juliano. D. de remission.*
16. *Malè scribit maritum simpliciter rei dotalis Dominum vocis esse, sed esse duntaxat Dominum iuris in re constituti.*
17. *Malè exponit l. in pecudum. 28. D. de usur.*
18. *Malè item l. fructus. 45. eod. tit.*

F I N I S.

~~~~~

Errata. *Thes. 2. lin. 1. pro &, leg. ut th. 8. lin. 1. pro quarimonium, l. quarimoniam. th. 22. l. 5. pro sic, l. hic. th. 23. l. 2. pro feruntur, l. fruuntur. th. 27. l. 4. pro consent. l. constit. thes. 32. l. 4. redundat, te, item alterum, ven, in voce, inventarium. th. 35. l. 15. pro confundi debent, leg. confundi non debent.*





QX TX 1524



MC

WMA





sententiam  
so ex cathedra

5.  
quam dum  
ram subm  
nisi prius  
maledictis,  
daci impio  
& nefaria

6.  
sionem par  
nem illum,  
convitia,  
ipforum  
nestorum  
tem nunc

7.  
stigatione  
claritate fu  
perperam a  
non ausim

8.  
si M. Tul  
esse, mise  
adversus il  
dubitare sa  
ve (quod ta

9.  
sententiã sa

10.  
ant gentium  
coniuncta s

os dignari respo  
rescimus.

oi impotentiam:  
ne luscū & scur  
typus committi,  
doctè dictus, sed  
vittia, qua men  
-stras nefarias  
erubuit.

nsusum & defen  
cedamus, homi  
na in nos jacta  
lis & nefarius  
, & omni ho  
probabis au  
timus.

hac veri in ve  
sciant, non eã se  
d rectè aut quid  
ut visum eloqui

ia quod attinet,  
it, dictu nefas  
bis etiam licebit  
uius potestate  
t, sive errore, si  
t, istã voce uti.

um ex ipsorum  
gnoverimus.

ivino, naturali  
ipsã Maiestate  
tè, sive expres  
sè:

sè Pr  
num

tom  
net  
pro  
resp

Reg  
ex c  
allig  
sive  
com  
per

ges  
plu  
De

coa  
cõa  
lud

tin  
qu


ad  
ve

fe

26

pa  
pe

P



**Kodak**  
LICENSED PRODUCT  
**KODAK Color Control Patches**  
© The Tiffen Company, 2000  
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

